

## 1337-1337- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Valenciam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
Hec sunt acta capituli generalis apud Valenciam celebrati  
anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · XXXVII<sup>o</sup> ·

### Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: nec possit habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possit fieri diffinitor generalis vel provincialis capituli nec predicator generalis. Omnem autem gratiam et dispensacionem quibuscunque factam, quod possint esse diffinitores generalis capituli vel provincialis vel priores vel lectores in studio generali, qui apostataverunt vel qui de peccato carnis manifeste convicti fuerint, vel qui fuerint carceri mancipati sentencialiter et legitime, revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: ad ipsum provinciale capitulum eius electio pertinebit, addatur statim post et dicatur sic: exceptis provinciis Grecie et Terre sancte, in quibus provinciis provisio suorum priorum provincialium ex ordinacione sedis apostolice pertinet ad magistrum ordinis et diffinitores capituli generalis<sup>1</sup>.

Item inchoamus hanc: In eodem capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: qui eius locum obtinet, teneatur convocare, quam cicius poterit electores, addatur et dicatur sic: exceptis provinciis Grecie et Terre sancte; in quibus provinciis provisio suorum priorum provincialium ex ordinacione sedis apostolice pertinet ad magistrum ordinis et diffinitores capituli generalis<sup>2</sup>. Item inchoamus hanc: Quod de beato Vincencio martyre glorioso fiat per totum ordinem festum duplex.

### Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: Nec receptus fiat clericus nisi de magistri ordinis licencia speciali, addatur statim post et dicatur sic: nullus religiosus professus cuiuscunque ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licencia magistri ordinis vel capituli generalis. Et hec habet tria capitula.

### Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc, quod per religiosos mendicantes non solum intelligit constitutio illos religiosos mendicantes, qui possessiones non habent nec in proprio nec in communi, sed etiam illos religiosos, qui etsi possessionem habeant, propter tamen eorum exiguitatem consueverunt communitate mendicare.

Item. Quod dicit constitutio, que ponitur inter illas constituciones, que conscripte sunt in fine constitutionum nostrarum, quod non fiant in aliqua provincia habente numerum excessivum predicatorum generalium predicatorum generales, donec ad numerum conventuum sint redacti, illis duntaxat exceptis, qui ratione antiquitatis vel infirmitatis ad capitula provincialia venire non possunt, declaramus, quod illi reputandi sunt non posse venire ad capitula provincialia ratione infirmitatis vel antiquitatis, quos provinciales et diffinitores provincialis capituli ire ad capitula provincialia ex causis predictis iudicaverint non potentes.

Item. Quia dicit constitutio in capitulo de provinciali capitulo, quod infra quinquennium ab ingressu ordinis fratres aliqui non admittantur in conventibus ad discussionem eorum, que ad capitulum generale vel provinciale sunt mittenda nec etiam ad electionem socii prioris conventualis nec etiam ad electionem electorum prioris provincialis, declaramus, quod istud quinquennium sic intelligitur, quod semper quatuor anni a professionis tempore computentur.

Item. Quia frequenter contingit, quod multi fratres propter excessum suarum culparum privantur a suis superioribus omnibus graciis ordinis, nulla mencione facta de privacione vocis, sed stando precise in privacione graciaram omnium ordinis et ex hoc apud multos in diversis provinciis dubitacio sit exorta, utrum privati omnibus graciis ordinis absque aliqua expressione de privacione vocis, privati sint voce in electionibus priorum conventualium et in electione socii mittendi ad generale vel provinciale capitulum et in electione electorum prioris provincialis, declaramus, quod illi, qui sunt per suos superiores privati omnibus graciis ordinis nulla mencione facta in ipsa de privacione vocis, non sunt ipso facto voce privati, si quam habebant in electione prioris conventualis et in electione socii mittendi ad generale vel provinciale capitulum et in electione electorum prioris provincialis, quando electio prioris provincialis per electores fuerit facienda.

Item. Declaramus, quod quando frater privatur omnibus graciis ordinis, privatus est auctoritate et gradu predicacionis generalis nec ad predicacionem generalem restitui potest per quemcunque, nisi iterato per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis provincie sue fiat de novo predicator generalis, sicut si nunquam antea extitisset.

### Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum ordo noster a suis primordiis propter eminenciam sciencie singulariter floruerit et intellexerimus, quod studium in aliquibus (quibusdam) provinciis neglectum sit mirabiliter et collapsum, et ex hoc verisimiliter timeamus, ne in illis provinciis ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod singuli priores provinciales in suis provinciis et vicarii eorum

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 226 l. 27 sqq.

<sup>2</sup> Cf. ibid.

generales et diffinitores capitulorum provincialium provideant de studiis theologie, phylosophie naturalis et arcium taliter, quod ad minus in singulis provinciis sint duo studia theologie, duo phylosophie naturalis et duo arcium, in quibus deputentur lectores ad hoc ydonei et studentes, qui per provinciales et diffinitores compellantur per penas graves et per preceptum, si oportet, legendo, studendo, disputando studio insistere et lectiones cum ceteris actibus scholasticis continuando cum diligencia exercere; quodque lectores principales in singulis conventibus compellantur lectiones suas continuare; inhibentes districte, ne lectores, qui suas in scolis non continuant lectiones quibuscumque graciis, titulo lectoratus gaudeant nec lectores re vel nomine nuncupentur. Provincias tamen Grecie et Terre sancte ad ista per preceptum nolumus obligari.

Item. Cum ex eo, quod multe provincie neglexerint hactenus studentes mittere ad studia generalia, credimus et timemus, quod heedem provincie in lectoribus ydoneis et viris litteratis defectum notabilem paciantur, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu quod provinciales et diffinitores provinciarum Ungarie, Boemie, Polonie, ad studia generalia conventuum Parisiensis, Coloniensis, Bononiensis, Tholosani et Montispessulani mittant studentes in numero secundum constitutiones eis concesso, quodque provinciales supra dictarum provinciarum studentes sic deputatos studiis supradictis compellant per preceptum et alias graves penas accedere ad studia eisdem per suas provincias deputata. Ipsi autem prioribus provincialibus supradictarum provinciarum precipit magister ordinis, quod provideant studentibus sic per provinciam missis de contributione sufficienti iuxta modum alias in suis provinciis observatum. Provincialibus eciam provinciarum Yspanie et Aragonie precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod de mittendis studentibus Parsius, Tholosam et ad Montempessulanum et de providendo eisdem de contributione solita in suis provinciis modum et formam teneant, qui statim de aliis tribus provinciis est expressus. Sub eadem forma precepti imponit magister ordinis universis aliis prioribus provincialibus, quod studentibus per provinciam missis extra suas provincias de contributione et subsidio provideant secundum morem hactenus in suis provinciis observatum. Studentibus autem, qui de gracia magistri ordinis mittuntur ad alias provincias, de diffinitorum suorum consilio provideant modo meliori, quo eis videbitur expedire.

Item. Cum intellexerimus, quod in quibusdam provinciis fratres aliqui lectorias sollempnium conventuum tenuerint et teneant annis quampluribus in multorum aliorum fratrum eque sufficiencium preiudicium et verecundiam, volumus et ordinamus, quod nullus frater ultra quatuor vel quinque annos continuos lectoriam alicuius conventus teneat, si eque sufficiens pensatis omnibus in eadem provincia habeatur.

Item. Cum ex insufficiencia lectorum ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod in assignando lectores principales conventuum necnon et lectores sentenciarum et naturarum et arcium semper preponant, quos pensatis moribus et sciencia iudicaverint meliores, et iam assignatos, de quorum insufficiencia clare constiterit, si sufficienciores convenienter habere potuerint, a dictis officiis amoveant et absolvant. Studentes autem et fratres alios omnes sequi scolas compellant et eos, qui a scolis defuerint per abstinentiam puniant in pane et aqua ipsa die.

Item. Cum ex sequela communitatis rectorii cetera observancie regulares quamplurimum reformatur, volumus et ordinamus, quod priores et suppriori refectorium continent, nec ab ipso se absentent, nisi ex causa multum necessaria et urgente, et in casibus, in quibus per constitutiones facultas comedendi extra refectorium fratribus indulgetur, et ad idem fratres alios omni affectione semota diligenter compellant. Qui vero huius ordinacionis inventi fuerint contemptores, in penam a suis officiis absolvantur. Omnem autem gratiam cuicumque a magistro ordinis vel a prioribus provincialibus factam, quod non teneantur sequi chorum vel refectorium, revocat magister ordinis et annullat. Imponimus autem prioribus provincialibus et conventualibus, quod nullam gratiam generalem conferant cuicumque presenti ordinacioni repugnantem.

Item. Cum intellexerimus, quod in aliquibus provinciis in magnum scandalum nostri ordinis esus carniarum a presidentibus provinciarum et conventuum nimis faciliter concedatur, ordinamus et omni districcione, qua possumus, imponimus singulis prioribus provincialibus et conventualibus ac vicariis eorundem, quod licenciam comedendi carnes nulli conferant, nisi iuxta formam, que in nostris constitutionibus continetur. Et si qui oppositum fecerint, priventur suis officiis in penam nec ad illa possint restitui nisi per dispensacionem magistri ordinis vel capituli generalis. Quicumque autem extra conventum carnes comederit vel trituras carniarum in pulmentis, omni districcione, qua possumus, mandamus, quod pena gravioris culpe per unum mensem continuum puniatur.

Item. Cum intellexerimus, quod in multis conventibus multarum provinciarum non sunt instituti suppriori per priores eorum, cum tamen per constitutionem institutio ipsorum suppriorum in singulis conventibus prioribus imponatur, districte imponimus prioribus universis, quod singuli in suis conventibus, si suppriori non habent, ipsos infra mensem a noticia presencium instituant et tales instituant, quales magis ydoneos habere poterunt pro officio memorato. Illi autem in quorum conventibus suppriori habentur, mortuo vel amoto suppriori, suppriori instituere infra unius mensis spacium teneantur. Qui autem suppriori isto modo instituere neglexerint, volumus, quod in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Quia multi equitando sine magna necessitate paupertatem nostram notabiliter deformant, mandamus et omni districcione, qua possumus, imponimus universis prioribus provincialibus, conventualibus et ceteris fratribus, quod ab equitaturis et expensis superfluis ex toto sibi caveant, nisi in necessitate tali, quod secundum formam nostrarum constitutionum dispensacionem habere racionabiliter mereantur. Quicumque autem inventi

fuerint oppositum facientes, si priores eciam sint, absolvantur a suis officiis; ceteri autem fratres pena gravioris culpe debita indispensabiliter puniantur, et provinciales, qui in hoc excesserint, ad sequens capitulum deferantur.

Item. Cum intellexerimus, quod quedam provincie non sine gravi contemptu nostrarum constitutionum predicatorum generales instituerint in numero excessivo, mandamus et volumus, quod in nulla provincia ordinis, habente numerum predicatorum generalium, preter impotentes sequi capitula, equalem suis conventibus, fiant predicatorum generales; quod si secus in quacumque provincia factum fuerit, ex nunc totum irritum esse decernimus et inane.

Imponimus autem prioribus provincialibus, quod ad sequens generale capitulum mittant vel deferant numerum suorum predicatorum generalium potencium sequi capitula et numerum et nomina eorum, qui a decem annis citra, supra numerum conventuum in suis provinciis fuerint instituti.

Item. Cum redditus ad vitam emere nostre professioni obviet et nostram deformet notabiliter paupertatem, omni restrictione, qua possumus, inhibemus, ne frater quicumque presumat hoc deinceps suo vel alio nomine attemptare; quod si secus actum fuerit a quocumque, seu ante presentem ordinationem in hoc inventus fuerit deliquisse, ipso facto omni perceptione illorum reddituum sit privatus, et ex nunc totum conventui applicamus; imponentes prioribus et conventibus, quod redditus, qui ad eos ex ista causa obvenerint, statim vendant et ad usum communem conventus applicent, quidquid receperint pro eisdem.

Item. Serenitati conscienciarum fratrum providere volentes, intimamus fratribus universis, quod magister ordinis concessit et concedit universis prioribus et supprioribus et eorum vicariis necnon et aliis fratribus ad consimilia legitime expositis per eosdem, quod ipsi omnes fratres ordinis possint absolvere a peccatis, a quibus de licencia suorum priorum ceteri fratres in conventibus mutuo se absolvant. Ad illa autem, que per suos superiores retenta sunt, nolumus, quod nisi de licencia priorum vel suppriorum suorum super hoc specialiter habita, potestas eorum aliquantulum se extendat; adiacentes, quod hiidem priores et suppriorum et eorum vicarii possint universis fratribus administrare extreme unctionis et eucharistie sacramenta.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus notorie illegitimus recipiatur ad nostrum ordinem nisi de prioris provincialis licencia speciali, quam non concedat nisi ex evidenti causa et conditione persone eidem ad magnum bonum ordinis cedere videatur.

Item. Cum secundum sententiam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ut nullus frater de cetero quocumque modo verbo vel scripto se de placitis seu de negociis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili ei necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurimum discretorum consilio, aliud videretur. Nullus quoque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris seu guerrarum negociis directe vel indirecte se presumat intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condemnatum.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute sancte obediencie fratribus universis, ne frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intentione ad Romanam curiam accedendi, nec in eadem Romana curia stet sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali, de qua per litteras magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eandem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sententiam excommunicationis ipso facto se noverit incurrisse. Quam sententiam excommunicationis prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu; absolucionem a dicta sententia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorundem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et suis negociis viderit expedire.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum magistri ordinis de non praticando in medicina stat, sicut in actis capituli generalis Brugis celebrati continetur<sup>3</sup>.

Item. Committit magister ordinis et imponit prioribus provincialibus Grecie et Terre sancte et generali vicario fratrum peregrinancium propter Christum, quod fratres insolentes et scandalosos suarum provinciarum vel vicarie remittere possint ad suas provincias et eosdem provinciis, unde venerunt, assignare, convocato super hoc prius consilio discretorum et maturorum virorum consilio et assensu.

Committit magister ordinis singulis prioribus provincialibus, quod de suis provinciis assignare possint quilibet eorum sex fratres provincie Grecie et Terre sancte et societati peregrinancium propter Christum, voluntarios tamen et illesos in vita pariter et in fama.

Mandamus priori provinciali Romano et diffinitoribus capituli provincialis nunc instantis in eadem provincia, quod de quatuor bonis fratribus provideant conventui de Piperno, qui in vita et sciencia sufficientes sint hedificare populum et conventum.

Item. Volumus et ordinamus, quod acta presentis anni generalis capituli in quolibet conventu legantur semel in singulis mensibus isto anno.

---

<sup>3</sup> Cf. supra pag. 239 l. 31 sqq.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus priorem provinciam Polonie.

Et priores conventuales Barchinonensem, Carpentoracensem, Albenacii, Niciensem, Cistaricensem, Marsiliensem, Tarasconensem et Narbonensem. Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus resumantur.

**Ista sunt suffragia pro vivis.**

Summa missarum pro vivis · iii · misse.

**Ista sunt suffragia pro defunctis.**

Summa missarum pro defunctis · xix ·

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos · vii · psalmos cum letania, quilibet conversus · c · pater noster et totidem ave Maria dicant.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Poncio de Flisco, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia · iii · florenos pro anno presenti. Provinciales autem illarum provinciarum, que pro tribus annis preteritis non solverunt eidem, sub eodem tenore precepti infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Facimus vicarium generalem in provincia Polonie fratrem Iohannem de duobus montibus de provincia Theutonie<sup>4</sup> usque ad sequens capitulum generale; et volumus et ordinamus, quod fratres provincie Polonie capitulum provinciale non celebrent, donec dictus frater Iohannes, eorum vicarius, in provincia Polonie presens extiterit et tam de loco quam de tempore provincialis capituli nunc instantis, prout iudicaverit expedire, ordinaverit. Quod si secus actum fuerit, totum ipsum capitulum et quidquid in eo fieret, esse volumus irritum et inane. Ipsum autem fratrem Iohannem vicarium et fratrem Mathiam quondam provinciam Polonie et fratres Iohannem Sutorcam Standislauum quondam inquisitorem in Cracovia et Adam Sandomeriensem et Bernardum Sandomeriensem volumus interesse in sequenti capitulo generali.

Assignamus ad legendum sentencias isto anno Parisius fratrem Parisium de provincia Provincie<sup>5</sup>.

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Petrum Gotas de provincia Francie<sup>6</sup>.

Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Petrum Corradi Venetum de provincia Lombardie inferioris.

Item. Assignamus lectorem in conventu Magdeburgensi provincie Saxonie fratrem Radulphum de Bosco de provincia Saxonie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Salamantino provincie Hispanie fr. Ferdinandum de Fraxino de provincia Hispanie.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis, et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et lectoribus et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout utilitati generali ordinis viderit expedire.

Letania more solito et salve regina in choro post horas more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Methensi in provincia Francie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · viam · feriam festum penthecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus; ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Explicunt acta capituli generalis apud Valenciam celebrati anno domini · m<sup>o</sup> ccc<sup>o</sup> xxxvii<sup>o</sup> ·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXIV.

<sup>4</sup> Fr. Ioannes de Duobus Montibus eligitur (prior provincialis prov. Teutoniae) in Gewiler 1340; praefuit annis 13. JUNDT, Histoire du Panthéisme populaire au moyen âge. Paris 1875 p. 289.

<sup>5</sup> De fr. Parisio cf. supra pag. 242 l. 9.

<sup>6</sup> De fr. Petro cf. DENIFLE l.c. pag. 473.